




301066
£1050





Incipit sūma edita a sācto Thoma de aquino
De articulis fidei et ecclesie sacramētis.

POstulat a me vr̄a dilectio / vt de articulis
fidei et ecclesie sacramētis: aliqua vob cō-
pendiose ꝑ memoriali trāscriberē cum du
bitatōnibꝫ que circa hec possūt moueri.
Verū cū om̄e theologoꝝ studiū vset cir
ca dubitatōnes ꝯtingētes circa articulos fidei et eccle
sie sacramēta. si ad plenuꝫ vestre paternitati satisfacere
vellem: oporteret me totius theologie sūmatī cōprehē
dere difficiles questiones. Quod q̄ꝫ sit onerosū vt cre-
do aduertit vestra prudētia / vnde ad pn̄s vobis suffi
tiat / si articulos fidei et ecclesie sacramēta breuiter vob
distinguā: et que errores sint circa quēlibet eoꝝ vitan
di. In primis igit vos scire oportet: ꝙ tota fides
xp̄iana / circa diuinitatē et humanitatē xp̄i versat. vn̄
xp̄us voce hom̄is loquens ait Creditis in deum: et in
me credite. Circa vtrūqꝫ aūt hoꝝ a quibusdā sex: a q̄-
busdā septem articuli distinguunt. et sic om̄es articuli
secundum quosdā duodecim: scd̄m quosdā quatuorde-
cim esse dicunt. Primo igit sex articulos sic distī
guunt circa fidem diuinitatis. Sūt em̄ circa diuinita-
tem tria ꝯsideranda: scꝫ vnitas diuine essentie. trinitas
personaꝝ. et effectus diuine uirtutis. Primus ar
ticulꝰ est. vt credamꝰ essentie diuine vnitatem: secūdū
illd deut. vi. Audi israhel dominꝰ deus tuꝰ vnus est.
Circa hunc autē articulū / plures errores euitādi oc
currunt. Primo quidē gentiliū siue paganoꝝ ponen
tium plures deos. Cōtra quos dicitur exodi. xx. Non
habebis deos alienos coram me. Secundus est error
manicheoꝝ qui ponunt duo prima p̄ncipia esse. vnuꝫ
a quo sunt omnia bona: aliud a quo sunt omnia mala.
Cōtra quos dicit ysa. xlv. Ego dominꝰ / et non est alt

Formans lucem / et creans tenebras : Faciens pacem et creās maluz: qr ipse sedm suā iustitiā / infligit malum pene : et cum esse ospicit in sua creatura malum culpe / qd esse permittit. Tertius est error antropomorficarum ponentiuz quidē vnū deum : sed dicentiuz eum esse corporeuz: et ad modū humani corporis formatum. Contra quos dicitur. Jo. iiij. Spiritus est deus. ysa. Cui similem fecistis deum aut quam ymaginē ponetis ei. Quartus est error epicurorum dicentiuz. qꝫ deus non habeat scientiam neqꝫ prudentiā de rebz humanis. Contra quos dicitur pe. vlti. Omnem sollicitudinem vestram proiciētes in eum: quomā ipsi cura est devobis Quintus est error quorūdam gentiliū philosophorum. dicentiuz deū nō esse omnipotentē: sed qꝫ solum potest ea que natura fiunt. Contra quos dicitur in psal. Omnia quecunqꝫ voluit dominus fecit. Omnes igitur hij vel derogāt vnitati essentie diuine / vel perfectioni. Vnde contra omnes ponitur in simbolo Credo in vnum deum patrem.

Secundus articulus est. qꝫ tres sunt persone diuine in vna essentia. sedm illd infra Jo. vltimo Tres sūt qui testimoniū dant in celo. pater. verbuz. et spūssāctus. et hij tres vnum sunt. ¶ Circa hunc articuluz sūt plures errores. Primus quidē sabellij qui posuit vnā essentiā : sꝫ negauit trinitatē psonarum dicēs: qꝫ vna persona qn̄qꝫ dicitur pater: qn̄qꝫ filius : quādoqꝫ spiritussāctus. Secūdus est error arrij. qui posuit tres psonas : sed negauit vnitatem essentie: dicēs filiū esse alterius sbstantie a patre / et esse creaturā / et minorē pre nō coequalem / nec coeternuz: sed incepit postqꝫ non fuerat. Et contra hos duos errores dicit dominus Jo. iiij Ego et pater vnū sumus: quia vt dicit Au. In eo qꝫ dicit vnū: liberat te ab arrio. qꝫ dicit sumus pluraliter / liberat te a sabellio. Tertius ē error eunomij. qui posuit filiū

dissimilē patri. Cōtra quē dicitᷣ coloc. j. Qui est ymago
inuisibilis dei. Quartꝰ est error macedonij. q̄ posuit spi
ritum sāctū eē creaturā. Cōtra quem dr̄ cor. iij. Dn̄s
aūt spūs est. Quintꝰ est error grecoꝝ. q̄ dicūt spiritū
sāctū ꝓcedere a pr̄e / et nō a filio. Cōtra quos dr̄ jo.
xiiij. paclitus autē spūssāctus / quē mittet pater in nōie
meo: quia scd̄m eum mittit pater tanq̄ȝ spūm filij et a fi
lio ꝓcedētē. Et Jo. xvj. dicitᷣ Ille me clarificabit: q2
de meo accipiet. Et cōtra hos oīs errores in simbolo
dicitᷣ. Credo in deū patrē omnipotētem et in filiū eiꝰ
vnigenitū non factū ↄ̄substātialeȝ pr̄i. et in spūm sāctū
dominū / et viuificātē q̄ ex pr̄e filioq3 ꝓcedit. Alij ve-
rō quatuor articuli diuinitatis / ꝑtinent ad effectū di
uine uirtutis.

Quorum p̄mus est. qui est tertius: ꝑtinet ad cre
atōem reꝝ in esse nature: scd̄m illd̄. dixit et fa
cta sūt. Contra hunc articulū. primo q̄dē erra
uit democritꝰ et epicurꝰ. ponētes q̄ nec materia mū-
di / nec ipsa mundi ↄpositio esset a deo: ȝ mundus esset
factꝰ casu per cōcursū corpoꝝ inuisibiliū que reꝝ prin
cipia estimabāt. Contra quos dr̄ in psal. Verbo domi
celi firmati sūt. idest scd̄m ratōem eternā: nō autē casu
Secundꝰ est error platonis et anaxagore: qui posuerᷣt
mūdū factū a deo: sed ex materia p̄iacēte. Cōtra quos
dicit psalmi. Mandauit et creata sunt. idest ex nichilo
facta. Tertius error est arristo. Qui posuit mūdum a
deo non esse factuȝ: sed fuisse ab eterno. Contra quem
dicitur genes. j. In principio creauit deꝰ celū et ter-
ram. Quartus est error manicheorum / qui posuerunt
deum esse creatorem inuisibilium: sed uisibilia a dya-
bolo esse facta. Contra quos dicitur ad heb. xj. fide in
telligimus. aptata esse secula verbo dei vt ex inuisibili-
bus uisibilia fierent. Quintus est error symonis magi et

mesandri eius discipuli: et multorum aliorum hereticorum eos sequentium: qui creatonem mūdi / non deo / sed angelis eius attribuebāt. Contra quos dicit paulus Act. xvij. qui fecit mūdū / et omnia que in eo sunt. Hic celi et terre cum sit dominus. Sextus est error eorum qui dixerunt deum non per seipsū gubernare mundum: sed per quasdam potestates sibi subiectas. Contra quos dicitur Job. xxxiiij. Quem constituit aliū sup terram: aut quem posuit sup orbē: quē fabricatus est. Et contra hos errores dr̄ in symbolo. Factorē celi et t're: visibiliū oīm et inuisibiliū.

Quartus articulus pertinet ad effectus gratie: p̄ quā viuificamur a deo. scd̄m illud ad Rom. iij. Iustificati gratis: p̄ grāz ipsius scʒ dei. Et sub h̄ articulo cōprehendūt' oīa sacramēta ecclesie: et q̄cunqʒ pertinēt ad ecclesie vnitatez / et dona sp̄ūssācti / et iustitiā hominū. Et q2 de sacramentis ecclesie postea erit agendū: de hijs interiz supsedeamus: et alios errores circa hūc articulū exponamus. Quorum p̄mus est cherīti et ebionis / et etiā nazareorum: qui dixerūt grāz xp̄i nō sufficere ad salutē: nisi aliquis circūcisionem et alia mandata legis custodiat. Contra quos dicit' Ro. iij. Arbitramur iustificari hominē per fidē sine operibʒ legis. Secundus est error donatistarum. qui posuerunt gratiaz xp̄i solum in affrica remansisse: quia scilicet totus alius mūdus cōmunicabat ceciliano carthusien. ep̄o. quem ipsi dampnauerāt: et in hoc negabant ecclesie vnitatē. Contra quos dicitur coll'. iij. q2 in xp̄o ih̄u non est gentilis et iudeus. circūcisio et preputium. barbarus et scita. seruus et liber. sed omnia in omnibʒ xp̄us. Tertius est error pelagianorum. qui primo quidem negauerunt peccatum originale esse in paruulis: contra illud quod Apostolus dicit. Ro. v. Per vnum hominem peccatum in mūdū intrauit. Et in psal. dr̄. Ecce enī in iniq̄tatibʒ

conceptꝰ ſum· Secundo dicunt / ꝙ p̃ncipiũ boni ope ris ineſt homini a ſeipſo: ſed ↄſumatio eſt a deo · cõtra illud quod dicit Apoſto· phil· ij· Deꝰ qui operatᷓ in nobis / et velle et pficere pro bona volũtate· Tertio di cunt gratiam dari hoibꝫ / ſcd̾m ſua merita · contra illd̾ qd̾ apoſto· dicit roma· xj· Si aũt grã iam non eſſet ex operibꝫ· alioquin gratia iã nõ eſſet grã · Quartꝰ error eſt origenis : qui poſuit omnes animas ſimul creatas cum angelis: et p diuerſitate eoꝝ que ibi egerũt: quoſ daꝫ homines vocari a deo per grãm: quoſdã in infide litate reliquit· cõtra quod dicit Apo· Ro· ix· cum non dũ nati eſſent / aut aliquid boni aut mali egiſſent· dictũ eſt: quia maior ſeruiet mĩori · Quintꝰ eſt error cathafri garum· ideſt montani priſce et maxille· qui dicũt ꝓphe tas quaſi arrepticios fuiſſe · et ꝙ nõ ꝓphetauerũt p ſpi ritũ ſanctũ· Contra quos dicitur pe· j· Non eñ volun tate humana allata eſt aliquãdo ꝓphetia · ſed ſpiritu ſan cto inſpirati / locuti ſunt ſãcti dei homĩes· Sextus eſt error cendonis · qm̃ primo dixit deum legis et ꝓpheta rum nõ eſſe patrem xp̃i: nec bonum deum eſſe / nec iu ſtum: patrem vero xp̃i bonum· Quem etiam manichei ſecuti ſunt legem reprobantes · Contra quos dr̃ Ro · vij· Lex quidem ſancta et mandatum ſanctum et iuſtũ et bonum· Et Ro· j dicitur Quod ante promiſerat p ꝓ phetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo· Septi mus eſt error eoꝝ qui quedam que ad perfectionem uite pertinent: aſſerunt eſſe de neceſſitate ſalutis· Quo rum quidam arrogantiſſime apoſtolos ſe vocauerunt / et nullam ſpem putant habere ſalutis eos qui vtuntur coniugibus / et propria poſſident · Alij vero ſicut taciani non veſcuntur carnibus · eaſqꝫ omnino abho minantur · Secundum illud Apoſtoli ad Thymotħ · iiij · Docentes abſtinere a cibis quos deus creauit ad

niſi

Error origenis

ꝑcipiendū eū gratiaꝝ actione fidelibꝫ. Dicunt etiã ꝙ ꝓmissio de aduẽtu spiritussancti / non fuit in aposto lis completa / sed in eis. contra illud quod dicitur Ac ij. Euticiani dicunt homines non posse saluari / nisi cõ tinue orent. propter illud quod dominꝰ dicit Luc. xvj. Oportet semper orare ⁊ non deficere. Quod sic accipit secundum Augusti. vt nullum diem intermittant circa orandi opera. Alij vero qui passoloemte vocantur in tantum silentio studẽt. vt naribus ⁊ labijs suis digi tum apponant. Passolos enim grece dicitur palus: ⁊ rinthos nasus. Quidam etiam dixerunt. ꝙ homo non potest saluari / nisi semper nudis pedibus ambulet Con tra quos omnes dicit Aposto. corinth. x. Omnia mic hi licent: sed non omnia expediunt. Ex quo dat intelli gi. ꝙ licet aliqua a sanctis uiris assumant tanq̃ expe dientia: non tamen ꝓpter hoc opposita reddunt illici ta. Octauꝰ est error eorū: qui dicunt econtrario ope ra perfectõnis non esse perferenda communi uite fi deliū. Sicut nouinianus posuit ꝙ uirginitas non pre fert coniugio. Contra illud quod dicitur Corinth vij Qui matrimonio iungit uirginem suam bene facit / ⁊ q̃ non iungit meliꝰ facit. Et sicut uigilãtius. qui equauit statum diuitias possidentium: statui paupertatis ꝓpter xp̃um assumpte. Contra quem math. xviij. Si uis per fectus esse / vade ⁊ vende omĩa q̃ habes ⁊ da pau ⁊c̃ Nonus error est negantiū liberꝝ arbitrium. sicut nega uerunt quidam dicentes / animas que sunt male crea tõnis non posse non peccare. Contra quos dicit ꝑma Jo. ij. Hec scribo vobis / vt non peccetis. Decimꝰ est error presti lianistaꝝ ⁊ etiam manicheoꝝ / dicentium homines esse fatalibus stellis colligatos. Ita scilicet ꝙ eorum opera sunt necessitate astrorum subiecta. Con tra quos dicitur Jeremie. x. A signis celi nolite ti mere / que gentes timent. ¶ Vndecimus est error

dicentiuz q̄ homines gratiaz dei et caritatem habētes peccare nō possunt. Ista q̄ asserunt eos qui aliquando peccant nunquā caritatem habuisse. Contra quos dicitur Apoc. ij. Caritatem tuā p̄stinam reliquisti memor esto vnde exaudieris. Duodecim⁹ est error eorum qui ea que ab ecclesia dei vniuersaiter sunt statuta: dicunt non esse obseruanda. Sicut arriani qui dicunt statuta ieiunia non esse solemniter celebranda: sed cū quis voluerit ieiunet: ne uideat᷑ esse sub lege. Et sicut vexerachochite idem quartodecimiani qui dicunt. xiiij. luna pasca esse celebrandum / quocunq̄ die septimane occurrerit. Et eadem ratō est de quibusdā alijs ab ecclesia statutis. Et contra omnes istos errores in symbolo apostoloꝝ dicit᷑ Sanctā ecclesiā catholicā. sanctoꝝ cōmunionē remissionē peccatoꝝ. Et in simbolo p̄m dicit᷑. Qui locutus est per ꝓphetas et vnā sāctā catholicā et apostolicā ecclesiā Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatoꝝ.

Q Vint⁹ articul⁹ est de resurrectione mortuoꝝ de quo dr̄ Cor. xv. Omnes quidē resurgem⁹ Contra quē etiā sunt plurimi errores. Quoꝝ p̄mus est error valētini. qui carnis resurrectionē negauit. quē etiā plures heretici sunt secuti. Cōtra quem dr̄ ad cor. xv. Si x̄pus predicat᷑ quia surrexit a mortuis quomō quidā dicūt in vobis: quoniā surrectio mortuoruz non est. Secund⁹ est error ymenij et fileti. Cōtra quos dicit aposto. q̄ a veritate deciderūt: dicentes resurrectionem iam factam. vel quia non credebant resurrectionem / nisi spiritualem. vel quia non dicebant alios resurrecturos nisi illos qui cum x̄po surrexerunt Terti⁹ est error quorūdā modernoꝝ hereticoꝝ. q̄ dicunt resurrectionem futurā. non tamen eorundē corporum: sed anime resument quedam corpora celestia.

Contra quos Aposto. dicit Cor. xv. Oportet corrup tibile hoc induere incorruptõnem. et mortale hoc indu ere immortalitatem. Quartus est error eutichij patriarc he constãtinopolitani. qui posuit q corpora nostra es- sent aere vel vento similia. vt greg. narrat in. xiiij. mo Contra quē est q domin9 post resurrectõez suã corp9 suum discipulis palpãduz prebuit dicens luc. vlti. Pal pate et videte. Cũ aposto. dicat phil. iij. Qui reforma- bit corp9 humilitatis nostre cõfiguratuz corpori clari tatis sue. Quintus est error dicentium: q corpora hu mana in resurrectione vertentur in spiritum. Contra quos luc. vlti. dicitur. Spũs carnem et ossa non habz sicut me videtis habere. Sextus est error cherinthi. q mille annos post resurrectionez in terreno regno cristi fabulatur futuros. in quibus homines carnales/ven- tris et libidinis voluptatem habebunt. Contra quem dicitur math. xx. In resurrectione neqz nubent / neqz nubent. Quidam etiam dixerunt. q post resurrectõez mortuorum/ in eodem statu in quo nunc est mund9/ ma nebit. Contra quos dicit Apoc. xxij. Vidi celum no- uum/ et terram nouam. Et Apost. dicit Ro. viij. q ipa creatura liberabitur a seruitute corruptõnis in liberta tem glorie filiorum dei. Et contra omnes hos errorores dr: carnis resurrectõez. Et in alio simbolo. expecto re- surrectõnem mortuorum.

Sext9 articul9 ptinz ad vltimũ effectũ diuinita tis q est remuneratio bonorum: et punitio malo- rũ. secdum illud psal. Tu reddes vnicuiqz secduz operã sua. Et circa hunc fuerunt multi errores Quorum primus est dicentium/ q anima moriat cum corpore/ sicut arabs asserit. vel etiam post modicum interuallũ sicut zeno dixit vt recitat in libro de ecclesiasticis do gmatibus. Contra quos est apostol9 Phil. j. desidé- rium habens dissolui et esse cum cristo. Et Apocal. vj.

vidi sub altare dei animas interfectoꝝ / ꝓpter verbum dei. Secūdꝰ est error origenis. qui posuit demones et homines dampnatos / iterū posse purgari: et redire in gloriam. et angelos et homines beatos / iterū posse ad malum deduci. quod est contra autoritatem dn̄i Ma. xxv. Ibunt hij in supplitium eternū. iusti autem in uitā eternam. Tertius est error dicentium: oīa ꝑmia / et omnes penas maloꝝ futuras / esse equales. Contra quoꝝ primū dicitur. cor. xv. Stella differt a stella in claritate: sic et resurrectio mortuoꝝ. Cōtra secundum dicitur Math. xj. tiro et sydoni remissius erit in die iudicij q̄z vobis. Quartus est error dicentium. animas malorum non statim post mortem descendere in infernum. nec aliquas sāctoꝝ animas paradisum intrare / ante diem iudicij. Contra quos dicitur Luc. xvj. Mortuꝰ est diues et sepultus in inferno. Et cor. v. Si terrestris domus nostra dissoluat᷑ / huiꝰ habitatōis domū habemus / non manufactam / conseruatam in celis. Quintꝰ error est dicentium: non esse purgatoriū aīaꝝ post mortē eorum scʒ qui in caritate decedentes / aliq̄d purgabile habent. Contra quos dr̄ cor. iij. Si quis edificauerit super fundamentum / scʒ fidei per dilectionē operantis lignum. fenum. stipulam. detrimentum patient᷑ / ipse tamē saluuꝰ erit. Sic tamen tanq̄z per ignem. Et contra hos errores dicit᷑ in simbolo. uitam eternam amen. vel uitam futuri seculi amen. Alij vero q̄ septē articulos circa fidem diuinitatis assignāt eos sic distinguunt. vt primus sit de essentie vnitate. secundus de persona p̄ris. Tertius de persona filij. quartus de persona spiritussācti. quintus de effectu creatōis. sextus de effectu iustificatōis. septimus de effectu remuneratōis In quo ꝯprehēdunt resurrectōnē et uitā eternā Et sic dū ꝑdictoꝝ sex articuloꝝ. Secūʒ diuidūt in tres. q̄ntū vō et sextū ꝯiūgūt i vnū fiūt scdʒ eos septē

articuli nec refert quātum ad veritatē fidei vel erroris uitatōem q̄lif distinguāt.

Nūc restat ɔsiderare articulos qui ptinēt ad humani tatē xp̄i / circa quā etiā sex articulos distinguunt.

QUoꝝ p̄m⁹ est circa conceptōem ⁊ natiuitatē xp̄i. scd̄m qd̄ dicit̄ ysa. vij. ⁊ inducit̄ Math. j. Ecce v̄go cōcipiet ⁊ pariet filiū: ⁊ vocabitur nomen eius emanuel. Et circa hūc multi fuerūt errores. Prim⁹ fuit dicētium. xp̄m esse puꝝ hoīem: ⁊ ꝙ non semꝑ fuit: sed a maria uirgine sumpsit exordium. Et iste est error carpocratis ⁊ cherinthi / ⁊ ebionis / ⁊ paulisamositani / ⁊ fotini. Contra quos dicit̄ Ro. viij. ex quibꝫ xp̄s scd̄m carnē suꝑ oīa benedict⁹ de⁹ amē Secund⁹ est error manicheoꝝ: dicentium ꝙ xp̄s non habuit verum corpus / sed fantasticū. Contra qd̄ est ꝙ dn̄s luc. vlt. rep̄hendit errorem discipuloꝝ suoꝝ q̄ cō turbati ⁊ perteriti estimabāt se sp̄ū uidere. ⁊ mat. xiiij uidentes eum discipuli super mare ambulantē: turbati sunt dicentes: quia fantasma est / ⁊ p̄ timore clamauerūt Quoꝝ opinionem dominus remouet dicens. Habete fiduciam / ego sum. nolite timere. Tertius est error va lentini. qui dixit xp̄um celeste corpus attulisse / nichilq̄ de uirgine assumpsisse. sed per illam tanquam per riuū aut fistulam. sine vlla de illa assumpta carne / transisse. Contra quem dicitur ad Galꝰ. iiij. Misit deus filium suum factum ex muliere. Quartus est error appollinaris. qui dixit verbum in carnem fuisse conuersum aut transmutatum. Non autem carnem de marie carne susceptam. ꝓpter illud quod dicit̄. Joh. j. Verbum caro factū est. per h̄ intelligēs / ꝙ verbum sit in carnē cō uersum. Contra quod statim ibidē subditur. Et habitabit in nobis. Non autē in nr̄a natura integre habi tasset / si fuisset in carne conuersū. Vnde intelligendū est Verbū caro factum est. idest v̄bū factū est homo

Sic eñ caro frequent' sumit' in scripturis · vt illud ysa xl · uidebit omnis caro parit' quod os dñi locutuz est · Quintus error est arrij · qui posuit xp̄um humanā animam non habuisse / sed verbuz fuisse loco anime · Cōtra qd dr · Joh · x · Nemo tollet animā / sed ego pono eaz et iterum sumo eā · Sextus est error apolinaris · qui cū predicto testimonio / et alijs conuinceret' / animaz humanam xp̄um habuisse · posuit q xp̄us non habuit intellectum humanum : sed verbum dei fuit ei loco intellectus · Contra quod est qd domin9 se esse hominez cōfitet' Joh · vij · Queritis me interficere hominem qui veritatem locutus sum vobis · Non autem fuisset homo / si anima rationali caruisset · Septimus error est euticetis / qui posuit in xp̄o vnam naturam compositam ex diuinitate et humanitate · Contra quod aposto · dicit q cum in dei forma esset / formam serui assumpsit · phil' ij · manifeste distinguens in eo duas naturas : diuinaz et humanam · Octau9 est error monotelicarum / ponentium in xp̄o vnam scientiam et voluntatem · Contra qd dominus dicit Math · xxvj · Non sicut ego volo : sed sicut tu · vbi manifeste ponitur in xp̄o alia voluntas humana alia diuina · que est communis patri et filio · Nonus error est nestorij · qui posuit xp̄um deum perfectū et hominem perfectum · ettamen aliam dixit personam dei esse · aliam hominis · et q non est facta vnio dei et hominis / in vna persona cristi · sed solum secundum gratie inhabitatōem · Ita q negat beatam uirginem esse matrem dei : sed eam dicit esse matrem hominis xp̄i · Cōtra quod dicit' luc · j · Quod ex te nascet' sc̄tū : vocabitur fili9 dei · Decim9 error est carpocratis · qui hominem xp̄um devtroq3 natum putasse perhibet' · Contra qd dicitur math · j · anteq̄z ↄuenirēt inuenta est in vtero habens de sp̄usancto · Vndecimus error heluidij est dicentis · q postq̄z beata uirgo pepit xp̄m : ex Joseph

plures filios genuit. Contra quod dicitur eze. xl. Porta hec clausa erit / et non aperietur. et uir nõ trãsibit p eã quomiã dominus deus egressus est per eã. Et contra hos omnes errores / in simbolo apostolorum dicitur. quod filius dei cõceptus est de spiritusãcto: natus ex maria uirgine. Et i simbolo patrum dicitur. qui propter nos hoies et propter nr̃am salutem descendit de celis. et incarnatus est de spũsancto ex maria uirgine / et homo factus est.

SEcundus articulus est de passione et morte cristi. Quod dñs ipse pdixit dicens. Ecce ascendimus iherosolimã et filius hominis tradetur pncipibus sacerdotũ. et cõdẽpnabũt eũ morte. et tradent eũ gẽtibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendũ Contra hunc articulum primo quidem est error manicheorum. qui sicut corpus cristi fantasticum asserunt. Ita passionẽ xp̃i non in veritate / sed in fantasia eẽ arbitrantur. Contra quod. ysa. liij. Vere languores nr̃os ipse tulit. et tanquam ouis ad occisionẽ ductus est. Quod etiam inducitur act. viij. Secundus est error salani. qui in xp̃o vnam naturam posuit sed incorruptibilẽ et immortalem. Contra quod dicitur pe. iij. xp̃us semel pro peccatis nostris mortuus est. Et contra omnes errores hos ponitur in simbolo Crucifixus mortuus et sepultus.

TErtius articulus est de resurrectione cristi. secũdum qd ipse dixit Math. xx. Tertia die resurget. Et circa hunc articulum primo quidem errauit cherinthus. asserẽs xp̃um non resurrexisse. sed resurrecturũ esse. Contra quod dicitur cor. xv. Resurrexit tertia die scdm scripturas. Secundus error est qui imponitur origeni. quod sit iterum pro salute demonũ passurus. Contra quod dr̃ Ro. vj. xp̃us resurgens ex mortuis iam non moritur mors illi vltra non dominabitur

Et contra hos errores dicitur in symbolo Tertia die resurrexit a mortuis.

Quartus articulus est de descensu ad inferos: corpore iacente in sepulcro Eph. iiij. descendit primum in inferiores partes terre. Unde in simbolo dicitur. descendit ad inferos. Quod est contra quosdam qui posuerunt christum non descendisse per seipsum ad inferos. cum tamen petrus dicat Act. ij. quod non est derelictus in inferno.

Quintus articulus est de ascensione christi in celum. de quo ipse dicit Jo. xx. Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum. Circa quem errant seleuciani. qui negant saluatorem in carne sedere ad dextram dei patris: sed secundum quod eum exuit et in sole posuit. Contra quod dicitur math. vlti. dominus quidem ihesus: postquam locutus est eis / assumptus est in celum / et sedet ad dextram dei. Unde in simbolo dicitur. Ascendit ad celum et sedet ad dextram dei patris.

Sextus articulus est de aduentu ad iuditium. De quo ipse dominus dicit Math. xxv. Cum venerit filius hominis / in maiestate sua: et omnes angeli cum eo: tunc sedebit in sede maiestatis sue etc. Et petrus dicit Act. x. Hic est qui constitutus est a deo / iudex viuorum et mortuorum. idest bonorum et malorum. siue eorum / qui iam mortui sunt: et eorum qui in aduentu cristi viui inuenientur. Et circa hoc errant illi de quibus dicitur pe. iij. venient in nouissimis diebus in deceptionem illusores / iuxta proprias concubinas ambulantes et dicentes vbi est nunc promissio aut aduentus eius? Contra quod dicitur Job. xix. Fugite a facie gladij. quoniam vltor iniquitatis est gladius. et scitote esse iuditium. Unde in symbolo dicitur. Inde venturus est iudicare viuos et mortuos. ¶ Illi autem qui septem articulos ponunt humanitatis / distinguunt primum articulum

Ita veteres dicunt

in duos · ponentes scilicz sub alio articulo conceptōez cristi et sub alio eius natiuitatem ·

Nunc restat videre de eccīe sacramentis que tñ omnia comprehenduntur sub · iiij · articulo · qui ad effectu gracie ptinet · Sed quia speci= alem de sacramentis questionē fecistis : de his seorsū agendū est · Est igitur pmo sciendū q sicut Augu· di cit · iiij · de ciuitate dei · sacramentū est sacrum secretū vel sacre rei signum Fuerunt autē in veteri lege quedā sacramenta / idest sacre rei signa · sicut agnꝰ pascalis / et alia sacramenta legalia / quequidem solum significabāt gratiam xp̄i · non tamen eam causabant · Vnde Apos· ad gall' · iiij · vocat ea egenea / et infirma elemēta · Ege na quidem : quia gratiam non continebāt Infirma qz gratiam cōferre non poterant · Sacramenta vero le= gis noue continent et oferunt gratiam · In eis eīn est uirtus xp̄i · que sub tegumento rerum visibilium secreti us operatur salutem · vt Augu · dicit · Et ideo sacramē tum noue legis : est inuisibilis gratie / visibilis forma · vt ymaginem gerat / et causa existat : sicut ablutio / que fit in aqua baptismatis : representat interiorem mūda tionem / que fit a peccatis per uirtutem baptismi · Sūt autem sacramenta noue legis · vij · scilicet · Baptismus · confirmatio · eucharistia · penitentia · extrema vnctio · ordo et matrimoniū · Quorꝝ prima quinqz ordinantur ad perfectionem vnius hominis in seipso · Alia vero duo ordinantur ad perfectionem / et multiplicationem totius ecclesie · Vita eīn spiritualis / conformatur uite corporali · In uita autem corporali / homo perficitur · Primo quidem per generationem qua nascitur in hoc mundo · Secundo per augmentum / quo perduci= tur ad quantitatem et uirtutem perfectam · Tertio per cibum / quo sustentatur hominis uita et virtus · Et hec quidem sufficerent / si nunqz infirmari otigeret

Sed quia frequēter homo infirmatur. Quarto īdiget sanatōe. Sic est in uita spirituali Primo quidē homo indiget regeneratione / que fit per baptismum. secundum illud Jo. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua / et spiritusancto / non potest intrare in regnum dei. Secundo oportet / q homo accipiat perfectam uirtutem quasi per quoddam spirituale augmentum: per sacramentum cōfirmatōis / ad similitudinem apostolorū quos spiritussanctus in eos veniēs / confirmauit Unde dn̄s eis dixit luc. vlti. Sedete in ciuitate / donec induamī uirtute ex alto. Tertio oportet q homo spūalit̄ nutriatur per eucharistie sacramētū. scdz illud Jo. vi. Nisi mādūcaueritis carnez filij hominis etc. Quarto oportet / q homo spūalit̄ sanet̄ p sacramentū pn̄ie. scduz illud psal. Sana animā meā: quia peccaui tibi. Quinto spūaliter sil̄ et corpalit̄ p sacramētū extreme vnctōnis scdm illud Ja. vlti. infirmat̄ quis in vobis etc. Quantū aūt ad cōmunē ecclesie vtilitatē ordināt̄ duo sacra / scz ordo et mr̄imoniū q2 p ordinē ecclesia gubnat̄ et multiplicat̄ spūalit̄: p mr̄imoniū vo multiplicat̄ corpalit̄

De sacmētis in cōmuni.

Est aūt cōsiderādū: q pdicta septem sacramenta: quedā habēt cōmunia / et quedam ppria. Cōmune quidē est omibz sacmentis: q conferant grām: sicut dictum est Et est omnibz cōmune: q oīne sacramētuz cōsistit in corpalibz: sicut in carne xp̄i sanctificata est / et uirtutez sanctificandi habet per verbum sibi vnitum. ita et res sacramētoz sanctificant̄ et viz sanctificandi habent p v̄ba / que in eis pferūt̄. Unde augu. dicit sup Joh. Accedit verbū ad elemētū / et fit sacramētū Unde verba quibus sanctificantur sacramenta / dicunt̄ forme sacramētoz. Res aūt que per hm̄ōi v̄ba / dicūt̄ sacramētoz materie. sicut aqua est materia baptismi. et crisma confirmatōis. Reqritur etiam in

quolibet sacramento psona ministri conferentis sacra
mentū cū intētōne faciendi qđ facit ecclesia. Quorum
triū si aliquid desit. idest: si non sit debita forma vboꝝ.
si non sit debita materia. si ministri sacramēti nō itēdāt
conficere sacramētū: nō pficit sacramētū. Impeditur
etiam effectus sacramenti: per culpam recipientis puta
si fictus accedat / et non corde parato ad suscipiendum
sacramentum. Talis eñ / licet sacramentuz suscipiat:
effectū tñ sacramēti / idest grām sancti spiritus / non
recipit. quia vt dicitur Sap. j. Spiritussanctus disciplinę
effugiet fictum. E conuerso autem aliqui nonduz receperunt
sacramentuz / qui tamen effectum sacramenti
suscipiūt. ꝓpter deuotionem quam habēt ad sacramētū
qđ habent in voto siue desiderio. Sunt autem quedaz
ꝓpria sacramentis quibuidā. Nam quedaz hoꝝ imprimunt
caracterem: idest spirituale qđdam signuz distinctiuum
a ceteris. sicut in sacramēto baptismi. in sacramēto
ordinis. et in sacramēto confirmatōnis. Et talia sacramēta
nunq̄z iterant super eandez psonam. Nunq̄z eñ
qui est baptizatus / debet iteꝝ vlterius baptizari Nec
cōfirmatꝰ iteꝝ cōfirmari. Nec ordīnatꝰ iteꝝ ordinari.
Quia caracter qui in hmōi sacramentis imprimitur
indelebilis est. In alijs vero sacramentis / non imprimitur
caracter suscipienti ea. et ideo possunt iterari q̄ntum
ad personam suscipientem: non tamen quātuz ad
materiam. Potest eñ vnus frequenter eucharistiam sumere.
frequent penitere. frequenter extremā vnctionē
suscipere: frequēter matrimoniū ꝯtrahere. non tñ eadē
hostia debet frequēter cōsecrari. nec idez oleuz īfirmorū
debet frequēter benedici. Est et alia differentia: q
q̄dā sacra sūt de necessitate salutis. sicut baptismꝰ et penitētia
/ q̄ sūt instituta ad purgādū peccata / q̄bz nō existētibz:
nō pōt homo saluari. Alia vero sacramēta / non
sūt de necessitate salutis / q sine hijs pōt hō esse saluus

nisi propter conceptu sacrameti.

De sacmetis in spẽali.

His visis in omuni circa ecclesie sacmenta. oportet quedã in spetiali de singulis dicere. Primo igitur circa baptismum sciendũ ẽ: q materia baptismi est aqua vera et naturalis: nec differt: vtrũ sit frigida / aut calefacta. In aq̃s aũt artificialibz: sicut est aq̃ rosacea et alijs hmõi / baptizari non potest. Forma aũt baptismi est ista. Ego te baptizo in nomine patris et filij et spũssancti. Minister autẽ hui9 sacramẽti proprius est sacerdos: cui ex offitio competit baptizare. In articulo tamen necessitatis / non solum sacerdos sed etiam dyaconus vel laycus et mulier siue etiã paganus vel hereticus potest baptizare: dummodo seruat formam ecclesie: et intendit facere quod facit ecclesia. Si vero extra articulum necessitatis aliquis a talibus baptizetur / recipit quidem sacramentũ / et non debet iterum baptizari. non tamen recipit gratiam sacramenti / quia ficti reputantur: vtpote cõtra statutum ecclesie sacmentũ recipientes. Effect9 aũt baptismi est remissio culpe originalis et actualis / et etiã toti9 culpe et etiaz pene: ita q baptizatis non est aliqua satisfactio iniungenda pro peccatis p̃teritis: sed statim moriẽtes post baptismũ introducuntur ad gloriã dei. Vnde effect9 baptismi ponitur apertio ianue paradisi. Circa hoc sacramẽtum fuerunt aliqui errores. Prim9 quidem est solentianorum. qui dicũt q baptismũ n̄ recipiũt in aqua sz solũ baptismũ spiritualem. Contra quos dñs dicit Jo. iij. Nisi q̃s renatus fuerit ex aqua et spũsancto etc. Scds error fuit donatistaz. reprobãtiũ eos qui sũt a catholicis baptizati. Cõtra quos dr ad ephẽ. iiij. vna fids vnũ baptisma. Et est ali9 error eoz. nam dicunt. q homo in peccato existẽs non potest baptizare. Cõtra quos Jo j. dr. sup quẽ uideritis spiritũ descendentẽ et manentẽ

sup eum. Hic est qui baptizat idest xp̄us. Vnde nō no
cet homī malus minister. nec in hoc nec in alijs sacram̄
tis. quia xp̄us est bonus / qui interius pficit sacramē
tum. Quartꝰ est error pelagianoꝝ. qui dicunt pueros
ꝓpterea baptizari vt regeneratōne adoptatiꝫ admittā
tur ad regnū dei de bono in meliꝰ trāslati. nō iste re-
nouatōes ab aliquo malo obligatōis veteris absoluti

De secundo sacramēto.

SEcūdū sacramētū est ꝯfirmatōis cuiꝰ materia
est crisma cōfectū ex oleo. quod signat nitorem
cōsciētie. et balsamo qđ signat odorem bone fa
me p epm benedicta. Forma aūt huiꝰ sacramēti est ta
lis. Consigno te signo crucis et cōfirmo te crismate sa
lutis / in noīe pr̄is et filij et spūssancti amen. Minister
aūt huiꝰsacramēti est solus epus. non eīn licet sacerdo
tes confirmādos crismate in frōte inungere. Effectus
aūt huiꝰ sacramenti est. q in eo datᷣ spūssanctus ad ro
bur sicut datus est apostolis in die pētecostes. vt scilicꝫ
xp̄ianus audacter cōfiteatur nomen xp̄i. et ideo con-
firmandus / in fronte inungitᷣ / in qua est sedes vere-
cundie. vt scꝫ nomē xp̄i confiteri non erubescat. et p̄-
cipue crucem eiꝰ que est iudeis scandalum gentibꝫ vite
stultitia. Et ꝓpter hͦ etiā signo crucis consignatur. Cir
ca hoc aūt sacramētum est error quorūdā grecoꝝ dicē
tiū q sacerdos simplex hͦ sacramētū pōt ꝯficere. Cōtra
quos dr̄ act. viij. q apostoli miserūt petꝝ et iohannem
apostolos qͥ iponebāt manꝰ sup eos: qͥ baptizati erāt
a philippo dyacono / et accipiebāt spūmsāctū. Epi aūt
sūt in ecclesia loco apostoloꝝ / et loco ipositōis manus
datur in ecclesijs cōfirmatio. De tertio sacramento.

TErtiū sacr̄mētū ē eucharistie. cuiꝰ materia est pa
nis triticeꝰ: et vinū de uite / modica aqua pmi
xtum: ita q aqua trāseat in vinū. Nā aqua sig-
nat populū qͥ incorpatᷣ xp̄o. De alio autē pane q̄ꝫ tritici

